

Heinrich Rudolph Redecker

**Heinricus Rudolphus Redeker/ Iur. D. Prof. Publ. & p. t. Decanus ... Ad
Disputationem Inauguralem Viri Clarissimi Dn. Caspari Friderici Koch/
Gustroviens. Mechlenb. Die XII. Maii ... habendam ... Rectorem ...Senatum, uti
etiam omnes literatos, & literatorum fautores observanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735212783>


Druck Freier  Zugang



Tod

RU jur. 1664.

Heinrich Rudolph Redeker, Mei 16
Gasper Friedrich Koch, Rest
mit Progr.



3. 1
HEINRICUS
RUDOLPHUS

Redeker/

Jur. D. Prof. Publ. & p.t.

DECANUS

Suo & Amplissimæ Facultatis Juridicæ

nomine

Ad

Disputationem Inauguralem

VIRI Clarissimi

DN. CASPARI FRIDERICI

Koch/ Gultroviens. Mechlenb.

Die XII. Maij in Auditorio Majori

Bono cum Deo habendam.

Magnificum Dn. Rectorem, Amplissimum

Universitatis & Urbis Senaturn, uti etiam omnes

literatos, & literatorum fautores observanter

invitat.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1664.

26

7.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



Omnium rerum, quas vel natura paravit, vel humana industria excogitavit, originem & finem esse, nullamque duraturam perpetuitatis sinceram constantiam promittere, mortalium nullus, nisi communi sensu destituatur, potest ire inficias. Ordo enim communis, quæ Deus in omnibus rebus creatis servat, testis est sufficiens, omnia illa quæ certum ortum & principium habent, veloci quasi cursu ad interitum properare, quicquid enim initium habet, exitum evadere nequit. Unde Sybilla lib. 1. Orac. si genitum est, inquit, indubie & interibit, & Cic. Omne quod ortum est mortalitas consequitur. Deus hominem præ cæteris animantibus, quæ rationis usu carent, admiranda perfectione formavit. Homo auxilio rationis tam egregia perfecit opera, ut si amplitudinem & stupendum splendorem ornatu orbis attentius consideraverimus, plurima tam angusta miramur, ut humanam industriam superasse videantur: Sed quid inani præcellentis virtutis specie gloriamur homines, quorum finis ab origine pendet, & qui vivere desinunt, simul ac vivere incipiunt. Unde Sil. Ital. l. 3. de bell. pun. Extremumque diem primus tulit. & Diog. at unum nobis duntaxat certissimum est, corruptio post generationem. Mors enim quasi saxum Tantalò semper impendet. Quid opera humana, in quibus persciendis, non tantum labor & natura, sed & virtus ac fortuna sumtuose certasse videntur, laudamus, quippe omnia auctoris inevitabile fatum imitantur. Unde Poeta:

Omnia sunt hominum tenui pendencia filo,

Et subito casu quæ valere ruunt.

Instabile est quicquid in orbe est, & orbis instar volvitur. Fugacia sunt, vana sunt, bractea sunt, quæcumque hominem induunt vel hominis ope & consilio facta sunt. Inde Soliorum Majestas, Imperiorum splendor,

dor, Magistratum auctoritas & omnis legum reverentia, fatales suos
noverunt terminos. Nihil enim tam artificiose factum, nec tam fir-
miter munitum aut prudenter constitutum, quin senescere incipiat,
simulac factum est. Prudenter proinde quisq; in sua arte progred-
ditur, quando accuratâ mentis indagine, modos constituendi ac dis-
solvendi res quasvis simul penetrat. Adeoq; non tantum Theologi
& Physici de Morte ejusq; diverso effectu sunt solliciti, verum etiam
præprimis Jcti, quoniam Leges passim non tantum de morte naturali
& civili personarum, sed & de morte rerum corporaliū & incorpo-
ralium agunt. Uti itaq; hæc materia in toto corpore juris est disper-
sa, & proinde subactam scientiam exigit, ita Clarissim⁹ Vir Domi-
nus CASPARUS FRIDERICUS KOCH, GUSTROVIENSIS
Mechlenb. post exantlatos labores & absoluto studiorum juris cur-
riculo, eam præprimis materiam ex abstrusis LL. penetrabilibus desum-
tam & studiose compilatam, pro consequendis summis in jure honorib⁹
elegit, ut in materiâ eleganti non minus, difficili & utili potius,
quam passim obvia, eruditionis symbolum suspendat, & præmeritos
honores consequatur. Illi enim scopum proxime tetigisse nobis vi-
dentur, qui sepositis illis quæ vulgaria sunt, in rarioribus materiis
dextre digerendis operam collocant, & ingenia exercent, quoniam
in enucleatis frequentissime materiis, non tam probe eruditionis robur
conspicitur, quam in illis quæ majorem elaborandi industriam & acu-
men requirunt, tum quia dispersa latitant, tum quia minus frequenter
trita sunt. Jcti autem præ omnibus aliis mortem ejusq; effectus rite
considerant, modo quatenus naturalis est, & animam separat à cor-
pore, & ita quidem per se una est, sed diversimode contingit, modo qua-
tenus civiliter quis mori dicitur, qui statum suum amittit. Nec tan-
tum homines qui præ cæteris rationis usu ducuntur, & cætera anima-
lia quæ sensu tantum moventur, moriuntur, sed & illa, quæ per vim
vegetativam sustinentur, vivere dicuntur ac mori, quia hominis in-
star, nascuntur, crescunt ac decrescunt l. 4 de Censib. §. 38. J. de Rer.
Divis. Imò Leges nostræ, juræ, & actiones etiam vivere ac mori statu-

unt, veluti lis mori dicitur l. i. §. i. l. 3. §. ult. ff. quæ in fraud. cred.
Hæc omnia Florentissimus Dominus Candidatus, ex latifundio juris do-
ctissimè depromta, publicæ velitationi pro obtinendis honoribus sub-
mittere voluit, uti eo confidentius egregios, quos in jure progressus
fecit, omnibus probaret. Quemadmodum autem illi, qui Juris
Professionem sustinent, & in illa se exercent, non tantum laudabilem
in se probis moribus vitam monstrare, sed & docendi peritiam, di-
cendi facundiã, interpretandi subtilitatem, & differendi copiam pa-
tescere debent, constituente Imp. Valentini ano in l. un. C. de Pro-
fess. qui in Urb. Constant. ita non minus omnes illi, qui ad con-
sequendum summos in jure honores, studiorum suorum fiduciam ha-
bent, non tantum juris peritiã, verum etiam natalium splendore ac
probatis moribus, debent præ aliis inclarescere: Quapropter usitato
more Domini Candidati vitam, moresve, non tam fucato aut que-
sito colore adumbrare, quã ex argumentis rerum depingere officii ra-
tione jubeor. Natus autem est Gustrovii, ubi Serenis. Ducum
Mechl. aula, Patre Viro Nobilissimo & Consultissimo DN. CASPARO
KOCH, Jctio Westphalo Clarissimo, & Serenissimi Ducis Mechlenb. Con-
siliario gravissimo, qui Anno 1656. non sine Reipb. & suo-
rum damno, ex hac vita pie discessit. Matre autem fœ-
mina virtutibus sui sexus ornatissima, SARA, Viri Plurimum
Rever. & Præcellentissimi DN. LUCÆ BACHMEISTERI, SS. Th. D.
Prof. in hac Universitate famigeratissimi, Superintendentis distri-
ctus Gustroviensis, & Consistorii Provincialis Assessoris meritiissimi si-
mul ac fidelissimi, filia. Optimis hinc parentibus natus, non
potuit non, propter innatos pietatis ac virtutis igniculos,
studiis esse apprimè aptus, illisq; à primo statim nativitatibus
die spem facere indubiam futuri solatii. Cum itaq; in
Schola Patria, prima pietatis ac humanioris literaturæ ru-
dimenta feliciter posuisset, dignusq; judicaretur, qui in
Scholas Regias cum fructu ablegaretur, charissimorum Pa-
rentum consilio 12. d. Martii Anno 1652. in hanc Academi-
am.

am felici omine se contulit, in quâ per biennium subsistens, non tantum Philosophiæ, verum etiam Jurisprudentiæ principia, singulari industria hausit, usus præprimis fidelissima informatione *Viri Excellentissimi & Consultissimi DN. JACOBI SEBASTIANI LAURENBERGII J. U. D. & Prof. celebrissimi, amici ac collega nostri conjunctissimi.* Peracto biennio jussu Optimorum Parentum, qui operæ & impensarum pretium cum singulari gaudio se accepturos prævidebant, in Academiam Francofurtensem migravit, ubi Professores & Præceptores invenit studiis suis faventissimos, *Viros Nobilissimos & Excellentissimos DN. JOHANNEM BRUNNEMANNUM Jctum celeberrimum, & DN. JOHANNEM FRIDERICUM RHEITIUM, Antecessorem Clarissimum,* quorum fidelissima informatione, cum ad triennium esset usus, inde discedere coactus est, partim propter luem pestiferam, quæ ibi periculose grassabatur, partim etiam ut amisso non ita pridem Parente optimo, cujus consueti auxilio & præsidio tunc temporis maxime indigebat, consilio fratris sui, *Viri Consultissimi & Amplissimi DN. DIETERICI KOCH J. U. D. præcellentissimi* tunc Wittebergæ, non sine insigni studiosæ juventutis commodo commorantis, hodie autem Magdeburgensium Consilarii prudentissimi, uteretur. Cum autem fraternos favores Wittebergæ impense persentiret, eumq; inter illos, qui Jura cupida LL Juventuti profitebantur hæud postremum reperirer, nulli potuit aut voluit studiorum suorum moderamen tutius committere, quam fratri charissimo, quare etiam illo per totum quinquenniū tanquam Lesbia norma usus est. Cum itaq; totius juris cursum sub auspicio tam fidelissimi interpretis dextre absolvisset, ut ferè sine cortice natrare se posse crederet: Ibidem Disputationem de jure captivorum accurate conscriptam, sub præsidio *Viri Excellentissimi & Consultissimi DN. GOTHOFREDI SÆVI Prof. celebratissimi*

bratissimi, cum summa laude & honorifico auditorum applausu publicè defendit. Et cum vix latere possint, quos ardense vehit ad sydera virtus, quiq; probitate simul & rara eruditione præ aliis inclarescunt: In sui amorē haud difficulter convertit, *Virum Magnificum, Amplissimū & Consultissimū DN. JOHANNEM MACRINUM J. U. D. Clarissimum, Patritium & Consulem Lunaburgensium gravissimum optimè meritum, hæreditarium in Zimpfenberg & Zustow / qui cum filio suo Ephorum præfecit, ut prudenti consilio ejus mores & studia, adeoq; totam vitam ad rectum fingeret, ut paternarum virtutum æmulus, honorum etiam aliquando possit esse heres. Huic functioni tanta cum dexteritate & vigilantia præfuit, ut non tantum laudem inde reportaret egregiam, verum etiam beneficium Patrem, quo aliàs in tempestivè orbatō erat, sibi iterum conciliaret; quippe beneficia & benemerita in se impensè collata vix satis de prædicare potest. Quinquennium proinde in Academia Wittebergensi transegit, & cum sciret, nihil agendo recta ad vitium iri, nullum temporis spatium sibi subduci passus est, nulliusq; jacturam fecit, credens sine studiis nec vitam ipsam commode subsistere, cum discendi cupiditas, Juliano teste, sit optima vivendi ratio. Quare ex lectionibus publicis ac privatis, quibus in desinenter vacavit, tam excellentes progressus fecit, ut ipse Collegia Juris privatim aperiendi facultatem haud difficulter impetraret. Cum itaq; prænominatus *Ampl. DN. D. MACRINUS*, in quo salutis ac præsidii sui robur & firmamentum repositum fuisse & adhuc esse ex merito laudat, eum cum filio suo dilectissimo Wittebergâ, in Academiâ Lipsiensi tempestivè ablegasset, ibi præ aliis *Virum Consultissimum & Excellentissimū DN. AMADÆUM ECHOLT Prof. Publ.* materiam de Actionibus fideliter interpretantem sedulo audivit, nec minus ex familiari ejus conversatione studiorum suorum thesaurum maxime auxit.*


auxit. Postquam ergo Lipsiæ per annum nõ sine ingenti studiorum suorum commodo substitisset, brevi ab hinc à Dn. Patrono suo nunquam satis laudando provide domum revocatus est, hoc præprimis consilio, ut una cum filio ejus in Galliam, & Bataviam mitteretur. Ratio enim tū ipse, tum ejus Patronus nihil adeo studio juridico prodesse, quam si exterarum etiam Imperiorum & Rerum publicarum mores, jura, & status addiceret, ut eo felicius possit aliquando publicamunera subire. Antequam autem propositam hanc peregrinationem susciperet propinquorum suorum (svasu & maturâ deliberatione, constituit, in Academia hac Patria prius studia sua ad optatam metam perducere & honores promeritos rite ambire. Quare Amplissimæ Facultati Juridicæ nuper animi sui sensa decenter explicuit, talemq; in privato examine se præstitit, ut Dominos Assessores in amorem sui facile abriperet, illorumq; benevolentiam sibi abunde conciliaret. Ne itaq; privatim tantum se probaret, qui sæpius de jure publicè disputare nec erubuit nec formidavit, Disputationem ex præcipuis materlis Juris compilatam, publico etiam examini submittere & virtutum suarum testimonium impetrare voluit. *Potuisset equidem amplissima hæc de MORTE Disputatio latius deduci, cum & impossibile sit, illam per universi juris partes dispersam materiam, tam exiguo paginarum numero includi: Nec Clarissimo DN. Candidato animus, aut facultas eam rite deducendi defuit: quoniam autem disputationes non vero tractatus inauguralis scribuntur, cum ratione venerandi Antecessores Amplissimi nostri Ordinis statuerunt, ne ultra modum excurrat paginarum amplitudo in Disputationibus inauguralibus, sed ut duabus quaternionibus concludatur. Quod Statutum uti hætenus sanctè est observatum, transgredi nec debuit, nec voluit DN. Candidatus, qui novit, quod etiam libertas sit Legibus parere. Voluit autem in patria potius quam extranea Academia, pro impetrando vir-*

cutis & eruditionis brabeo, disputare, tum quia in illa prima huma-
nitatis rudimenta posuit, tum etiam quia patria memor, probare
voluit quam utiliter etatem hacteng in academiis transegerit, & boni
civis officium indefesso studio sustinuerit, tum ut possit Amplissimor-
um Fratrum, quorum alter Vir Consultissimus DN. LUCAS KOCH
J. U. D. clarissimus ante biennium, me Decano, summos in jure hono-
res ex merito obtinuit, exemplum imitari, & familiam condecorare,
tum ut publicè profiteatur se non sibi tantum & parentibus, sed &
patriæ esse natum, ipsamq; si aliàs fors ita ferret, primas sue erudi-
tionis partes sibi jure vindicare, quod Cicero non tantum decorum
putat, sed & Leges approbant l. un. §. 15. ff. de Ventr. in poss.
mitt. l. 19. §. 7. ff. de capt. & postl. revers. Cæterum cum exqui-
sita DN. Candidati eruditio, & communis studiorum amor suadeat,
bene meritos premiis & honoribus ornare Amplissima Faculta-
tis Juridica nomine, omnes ac singulos literatos suis titulis honoran-
dos, omnesq; qui literatis bene cupiunt, & virtutem amant, debi-
ta cum observantiâ rogo, ut dignentur actum hunc inauguralem
honorifica ac frequenti sua presentia cobonestare, DN. Candi-
datum pro LICENTIA summorum honorum dispu-
tantem exercere, nostrisq; studiis auribus
ac linguis favere.

Dabam Rostochii sub Sigillo Facul-
tatis Juridicæ i. Maij Anno

1664.





finctè vult hæredem ex defuncti maleficio in sol
cap. in literis X. de raptor. cap. IX. X. de Usur. can. 3.
tum esse iudicat Bronchorst ad l. 38. D. de R. Jur. u
tiam defuncti, quam rationem tñ. non indubiam
definit. criminal. ad Tit. 5. libr. 47. th. 32. Sand. ad l.

XXXVII. Hoc addendum esse reor, in ad
occurrere, quod nõ tantum morte rei, sed & morte
Inst. de perpet. & temporal. action. l. 13. pr. D. de inju
commune est cum cæteris pænalibus; at prius ej
bet rationem, quod in ea non principaliter de da
tumelia vindicanda agatur, quam vindictam si i
tura decesserit, tacite remisisse intelligitur. Se
contrarium militare potest. Sicubi enim Colle
Universitas injuriã afficitur, per mortem uniu
illatæ injuriæ Senatui aut collegio erant addicti
obster vinculum personas conjungens, quo alio
l. 1. §. 3. 4. & l. 6. D. & l. 2. C. eod. prout in termin
Hahnus in Wesemb. ad Tit. de injur. num. 6. Temp
ut postquam præterlapsus fuit annus utiliter
nisi evanido conatu intentari possit, Carpzov. par
2. Obs. 105. Mynsing. Cent. 5. obs. 7. quanquam ec
L. Cornelia, ut pote perpetuam, arg. princip. Ins
ranta part. 4. distinct. 1. n. 19. Fachin. 9. controv j
vil. exercit. 49. th. 64.

XXXIIX. Idem de publicis judiciis erit j
na extinguuntur, & cum iis pæna, l. 6. D. de publi
Turpillian. l. 2 3. C. si reus vel accusat. mort. fuer. u
veniat pœnam, postquam exemptus est foro j
Quanquam id non destituatur penitus except
Theodoric. Disp. X. coll. Crimin. th. 7. lit. A. ubi po
agi potest pæna. Exemplum præbet l. 5. C. ad
propter Recels. Imperii de Anno 1548 & Neme
Pacis annumerandum. An verò Christianè id a
non erit decidere. Grotius dubitat ea de
XIII. seqq. Id demum assertu tutum deprehendo,
haud posse indistinctè remitti titulo juris aggrati

the scale towards document

in. X. de sepule.
od ideo statu
aret concien
r. in racemat.

id singulare
s intereat. §. 1.
Posterior hoc
st, & hanc ha
sed de con
lite non insti
liaris ratio in
n. Senatus aut
qui tempore
no; Aut si
ertur injuria.,
e recenfer Dn
erit actio hæc,
s. C. eod. non
97 n. 20. Gail.
a actionem ex
tempor. act. Ma
tagm. Jur. Ci-

e enim crimi
3 D. ad Sctum
e sua reus præ
tur foro DEL.
congessit Petr.
choari & per
cui suo modo
crimen tractæ
endatur? Meum
& B. cap. 21. n.
mortis pœnam
as jure superio
ratis

